



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod Deus perpetua inspectione considerat opera & intentiones
hominum, 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

tenuisti me : quando ivi , deduxisti me :
quando veni , suscepisti me : quando dormi-
vi , custodisti me : quando clamavi , exaudi-
stisti me .

C A P V T X I V .

*Quod Deus perpetua inspectione considerat
opera & intentiones hominum .*

1. **H**Æc enim & multa alia beneficia fe-
cisti mihi, Domine Deus meus, vita
animæ meæ, de quibus dulce esset mihi sem-
per loqui, semper cogitare, semper tibi gra-
tias agere: ut possim te semper pro omnibus
bonis tuis laudare, & amare te toto corde
meo, & tota anima mea, & tota mente mea,
& tota fortitudine mea, simul ex omnibus
medullis & intimis cordis mei, & omnium
compagum mearum. Beata dulcedo, Domi-
ne Deus meus, omnium qui delectantur in
te. Sed imperfectum meum viderunt oculi
tui. Oculi, inquam, tui multo lucidiores
sunt Sole, circumspicientes omnes vias ho-
minum, & profundum abyssi, & in omni
loco contemplantur semper bonos & malos.

2. Cum enim cunctis præsideas, singula
implens, totus semper ubique præsens, cun-
ctorumque curam agens, quæ creasti: quia
nihil odisti eorum, quæ fecisti: sic gressus
meos semitasque consideras, & die noctu-
que super custodiam meam vigilas, omnes
semitas meas diligenter notans: Speculator
perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli
& terræ oblitus, tantum me solum confide-
res, & nihil sit tibi curæ de aliis. Neque
enim

enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum unum aspicias, neque minuitur, si innumera videas & diversa. Quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfecte simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum: & sicut unum, sic singula totus simul sine divisione vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore; totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare debeas.

3. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero, non recedis: quoniam ubique es, ut quocumque iero, inveniam te, per quem possim esse, ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor quidem, quia quicquid facio, & quæcumque facio, ante te facio: & illud quicquid est quod facio, melius tu vides, quam ego, qui facio. Quicquid enim semper operor, tu pariter semper præsens ades; utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum. Domine ante te semper est omne desiderium meum, ante te tota cogitatio mea.

4. Tu, Domine, vides unde veniat spiritus, ubi sit, & quo vadat; quia tu es omnium
spi-

spirituum ponderator. Et utrum radix sit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur, tu iudex internus melius ipse nosti, & etiam medullas radicum subtilius perscrutaris. Et non solum intentionem, sed radicis ejus medullam intimam disertissima tuæ lucis veritate colligis, numeras, intueris, & consignas; ut reddas unicuique non solummodo secundum opera vel intentionem, sed etiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quod tendo, cum operor, quidquid cogito, & in quocunque delector, tu vides: aures tuæ audiunt, oculi tui vident & considerant: signas, attendis, notas, & scribis in libro tuo, sive bonum fuerit, sive malum: ut reddas postea pro bono præmia, pro malo supplicia: quando aperientur libri, & judicabuntur secundum hæc, quæ fuerunt scripta in libris tuis.

5. Hoc est forte, quod jam dixisti nobis: Considerabo novissima eorum. & quod de te, Domine, dicuntur: Univerforum finem ipse considerat. quoniam tu quidem in omnibus quæ agimus, finem intentionis magis quam actum operationis, attendis. Cumque hæc diligentes considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor: quoniam nobis magna est indita necessitas juste recteque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.

CAPVT